EPISTOLA APOLOGETICA

ADVERSUS

DIDACI DE OROPEGA SOCIUM

SIVE ENCOMIASTEN

SUB EMENTITO S. ELIÆ NOMINE

In quodam *Poſt-ſcripto*

VARIAS IMPOSTURAS, ET CALUMNIAS DIVULGANTEM.

ADDITUR IN FINE PRÆCLARA COMMENDATIO

Carmelitarum Diſcalceatorum Doctrinæ de GRATIA

PER PRIMARIUM UNIVERSITATIS SALMATICENSIS MODERATOREM

ORDINIS S. DOMINICI:

ET CONDEMNATIO LIBRI CORNELII A CRANENBERGH,

QUEM UT SUUM ADOPTAVIT

DIDACUS DE OROPEGA.

SANCTISSIME PATER,

Non sine dolore vidimus post scriptum quoddam infame quod tuis Litteris subjungere non erubuit Oropegam, ejusve socium, sivè Encomiasten: Facilè videre est, etiamnum hoc tempore superesse in Societate nonnullos ex iis, quos olim perstrinxit Mutius Vitellescus, dum in suâ ad Patres & Fratres Epistolâ dixit: *Nemini parent, omni agunt libertate, & licentiâ, non sine gravi charitatis, justitiæque interdum incuriâ: dum aliena seu dicta, seu facta nunc amplificata augent, modò ultrò citroque renuntiant, nunc in deteriorem partem accipiunt: ad motus animi atque concilia Deo reservata dijudicanda progrediuntur: haud scio an dicendum sit, res neque gestas umquam, nec per somnium quidem oblatas comminiscuntur & jactant....: atque utinam interdum Divina Majestas nihilò magis quam leviter lædatur, eoque periculosius, quò minus inde conscientia onerari alicui fortasse videbitur.* Sed ô utinam in vivis ageret præclarus ille Societatis Generalis, quam exiguam post tantas, totiesque repetitas admonitiones emendationem adverteret, quantis defleret lacrymis, dum perniciosum illud loquacitatis vitium, quod suo tempore *per Societatem serpere fatebatur & deplorabat*, modò ad summum vigere in nonnullis ejus paucis (ut spero) filiis, sed verè tanto nomine indignis, luce meridianâ clarius intueretur. In veritate doleo virum tam insignem suâ spe, & admonitione frustratum, sed & magis doleo ex inordinatâ illâ scribendi, & calumniandi libidine, non tantùm innumera inter Ecclesiasticos bona intercludi, sed & plurimos rectæ fidei & integritatis viros molestari, turbari, & toti Ecclesiæ Dei scandala non minima exoriri.

Siluerant jam paucis annis, satis bonâ, etiam magnatum, ædificatione, at ubi in Galliâ, & in Belgio nacti sunt nonnullos Principes sacros aut profanos, eorum votis (ut opinantur) faventes: quod in sinu suo altè continere temporis circumstantiæ coëgerant, tanto impetu, & tam divite copiâ eructant, effundunt, effutiunt, ut cataractæ calumniarum, & ineptiarum, quasi disruptæ, aut solutæ videantur.

Quod Galliæ Regem laudent satis incauti, non miror; quod Archiëpiscopum protegant, extollant, in eo me socium libenter adjungam, sed quod sub illo prætextu insignes viros, & Religiosos quoscumque carpere, & diffamare, de hæresi taxare, innumerisque ineptiis incusare tam libertino calamo præsumant, quis ullius sensûs aut rationis compos sufferat patienter? Hoc tu tantum indicare, seu vindicare per tuas Litteras voluisti, SANCTISSIME PATER: sperabas non nullum ex tuâ verè paterna præmonitione, seu comminatione Ecclesiæ Dei, aut fraternæ charitati fructum salutarem: sed obcæcatis, sed suâ passione, seu præsumptione

nimium turgidis, parum profuerunt charitativa toties monita, aut præces effusæ; patieris igitur, ut levi saltem calamo illorum calumniatorum linguas comprimam si forte corrigantur, antequam ad rigidiora & nimium forte duriora remedia progrediar.

Scit, Pater Sanctissime, illa mihi ad manum suppetere & solo charitatis, & pii erga Matrem Ecclesiam affectus titulo ab illis propalandis, etiam hâc vice supersedere. Quis enim Ecclesiæ filius, hostibus Matris suæ arma suppeditet, Quibus quidquid Religionis est, quidquid pietatis, quidquid sinceri erga Sedem Apostolicam affectus est, facilè pessumdatur, subvertitur, & irridetur? & hoc illorum est qui Cathedram Apostolicam & Romanam, ut Veritatis & Religionis Magistram jure jurando revereri sese existimant? utinam libri illi jamdiu Vulcano traditi fuissent, neque enim existimo (nisi fallar) ullum hæretici alicujus librum majus Ecclesiæ præjudicium umquam attulisse vel allaturum: citare tamen aut libros, aut viros, aut loca, solus dico respectus erga Sedem Apostolicam etiamnum cohibet.

At hoc vel maximè doleo, quod etiam consentiente (ut dicitur, sed vix credo) mihi charâ Societate, libri illi impressi divulgentur.

Sanctissime Pater, quotiescumque tuæ Religionis filius quidquam reprehensione dignum aut dixit, aut scripsit, aut impressit (quod sicut humanum est, ita omnibus facilè commune) tamen hoc tuis proprium, quod gladio zeli tui mox aut corripiatur aut castigetur: & ideo tua, in hoc saltem summopere laudanda Religio: sed ubi impunè grassantur vaniloqui, maledici, aut impostores, mala exoriri innumera, nihil est mirandum.

Jàmdiu tibi innotuit, Pater Sanctissime, quod filii tui neque litteraria certamina fugiant, neque transmarina horreant itinera ubi tuo exemplo contra Ecclesiæ hostes agendum aut certandum est, quod nullis aut laboribus, aut vigiliis parcant, aut pepercerint quoties perniciosæ fidei, aut doctrinæ viros impugnare prosequi, aut prosternere Dei gloria, aut Religionis Catholicæ bonum poposcit: testes sunt novissimi libelli aliique, non sanæ fidei, aut doctrinæ, eorum potissimum studiis, & sollicitationibus Romano damnationis stigmate inusti: sed & satis superque etiam tibi exploratum est, Pater Beatissime, quantopere filii tui pacem, & veritatem diligant, & nonnisi ægerrimè ad certamen cum viris Religiosis veniant, orare magis edocti, quam pugnare, quia tamen nonnulli semper inquieti licet toties victi importunè admodùm eos provocare & vexare non desinunt, cogor ego pro eorum parte etiam invitus in arenam descendere; at paucis dumtaxat.. Facta potius, aut eorum imposturas, quam bene doctrinalia refutando, ampliora verò certamina relinquam iis, qui hoc per seipsos præstare pro sui, & Religionis honore sæpius rogaverunt. Interim si in hoc certamine quicquam mali exempli fortè videatur, in

litis authores retorquere dignabitur : ego enim non ad offendendum ficut ipfi, fed merè ad defendendum innocentes mihi amicos arma fufcepi, & fi tela in eos mitto, remittere potius in eos miffa, dicendum erit.

In primis, PATER SANCTISSIME, tuis Litteris fubnectunt quoddam poft fcriptum planè adulterinum & à te minimè fubfignatum. Quia tamen Secretarium tuum fingulariter aggredi videntur, fpero te, aut illos non gravatè accepturos fi per me ab eodem refponfum recipiant de iis, de quibus tam falsè, quam injuriosè te aut potius univerfum Orbem informatum voluerunt.

Fingunt comprimis inter filios tuos connumerari nonnullos tamquam *Janfeniftarum Patronos, & Approbatores:* Janfeniftas vocant, qui quinque famofas propofitiones à variis Pontificibus in fenfu Janfenii condemnatas aut fuftinent, aut in ejus fenfu non condemnant: & quia illos ut verè hæreticos defcribit, & præftringit Oropega, infert, aut inferre vult filiorum tuorum aliquot fimilium hæreticorum fautores & approbatores. Quam verò hoc illis injuriofum fit & odiofum, maximè ubi non ex aliquo fundamento, fed merâ tantùm paffione hæc dicuntur, tu facilè judicabis, PATER BEATISSIME.

Probant hanc fuam impofturam, ex eo quod Duaco, Montibus, Leodio, Tornaco, &c. hoc illis infinuetur: fed cùm à Jefuitis fcribatur tantúm, quibus familiare eft quælibet fcribere etiam infamantia, ut patebit, fperare audeo, & tibi, PATER SANCTE, familiare futurum, nullam ipfis dicentibus fidem adhibere, fed probantibus tantùm: hoc verò de ipfis diffidimus, & meritò: primam enim, & efficacem (ut inaniter putant) probam fe haufiffe dicunt ex libello quodam cui titulus, *Les Secrets du parti de M. Arnauld découverts, &c.*

Mirabitur fummopere, PATER SANCTISSIME, quem pauca latent, quæ in Orbe geruntur, quod coram te citare ipfos non pudeat libellum, qui cum annectendâ Arnaldi querrimoniâ Gallicè impreffâ & Epifcopo Atrebatenfi exhibitâ à fæculo inauditas, & verè Chriftiano homini indignas technas & fraudes aperiat, & toti mundo propalet: revera rubore fuffundor dum perpendo, neque dubito, quin futurum fit quotquot in mundo aut funt aut erunt umquam honefti, feu alicujus confcientiæ viri graviffimè fcandalifandos, quotiefcumque vel minimam fraudulentæ hujus machinationis & rapinæ memoriam habebunt. Et verò, quis non fcandalifetur per fimiles libellos, qui & modos & media iniquiffima fuggerunt quibus aliorum fecretas Litteras, cordis arcana, & familiarum fecreta cognofcere, occultè furripere, propalare, deinde & ad Superiores deferre poffimus? Quis non fcandalifetur dum videt Ecclefiafticos, aut Religiofos viros, faltem partem habuiffe, idque tot menfibus, & annis in actione tam infami? & quis hæc confiderans, fibi à fimilibus non caveat, aut ab omnium honeftorum converfatione aut familiaritate homines tam dolofos arcendos

cendos non judicet? ſed hæc altius omnibus perpendenda relinquimus. Videamus tantummodò quid præſidii tot tantiſque calumniis, & impoſturis probandis ſeu fulciendis præſtiterit noſtro pſeudo Eliæ libellus hic infamis.

In illo refertur Epiſtola quædam Domini *De Ligny* truncata & mutilata, quam præfatus ſcripſiſſet ad quemdam è ſuis amicis, & in quâ haberetur quod *Diſcalceati Duacenſes perſonam & eruditionem iſtius amici venerentur*; Item quod *bene ſentiant in materiâ de gratiâ*, *de probabilitate*, *& ignorantiâ juris naturæ*..... & alibi *Diſcalceati ſunt inimici Doctrinæ Societatis in materiâ gratiæ*, *peccati philoſophici*, *& laxitatis in materiâ morali*. Sed quid inde? ideone Janſeniſtæ? Verum eſt quod rectè ſentiant in materiâ de gratiâ: at rectè ſentire in materiâ de gratiâ, &c. eſtne janſeniſare? Nonne ex ore Caïphæ licet maligni prodiit verbum veritatis? Quare ex ore Janſeniſtæ prodire non poſſet? An fortaſſe perfido Judæo pejor eſt? ſed fortè dices intellexiſſe eum quod rectè ſentiant ad eorum mentem & doctrinam: demus ſic intellexiſſe, an ideo verum? Nonne & modò dicunt Doctores Lovanienſes quod Auguſtiniani & Thomiſtæ omnes bene ſentiant in materiâ de gratiâ, & tamen illos inter Janſeniſtas non accuſas: dicunt ſimiliter quod & ipſi non aliter ſentiant quam Auguſtini & Thomæ Diſcipuli, & tamen negas & pernegas: quare ergo tam futili fidens Epiſtolæ ex multis capitibus mutilatæ, & fortè falſificatæ, credis Diſcalceatos Duacenos potius Janſeniſtas quam alios quoſcumque DD. Auguſtini & Thomæ ſequaces? Videte quid faciat præconcepta ſemel paſſio, ſed & ego radicem detegam hujus elogii: Lector unus è Diſcalceatis Duacenſibus uno alterove anno Lovanii varios libros & libellos de illis materiis tractantes coëmerat: ſcivit hoc præfatus Dominus, & unus aut alter alius ipſi amicus, rogarunt ut non numquam libros illos in Conventu noſtro conſulere poſſent; potuit igitur fuiſſe quod Conventus illi ſolitò frequentiores occaſionem præfato Lectori præbuerint ſalutarem & honeſtam cum eiſdem conciliandi amicitiam & unà ſentimenta Thomiſtica quoad materiam de gratiâ clarius ipſis explicandi ut revera in fine patuit ex Theſibus quas deinde ediderunt, priora ſua ſentimenta quaſi retractantes & more Thomiſtico explicantes, & quia facilè eos laudare ſolet humana fragilitas quorum ſubinde egemus adjutorio aut patrocinio, ſicut & Patres Societatis feciſſe cum Janſenio, referunt hiſtoriæ, dum in Epiſcopum inaugurarctur, quamvis in corde parum ipſi afficerentur: ſic & facilè fieri potuit quod de Patribus Duacenis laudabiliter ſcripſerit, aut eorum mentem non bene capiendo, vel ut deinde apparuit ſaniora habens ſentimenta, vel ut amicis non nihil exterius abblandiretur: fatentur enim Jeſuitæ, quod in veritate nec illis neque ullis Religioſis bene afficerentur, & tamen nullo alio fundamento nixi, præterquam Conventu illo præter morem frequentiore & truncatâ illâ & forté falſificatâ Epiſtolâ quam fraudulentis modis per ſe ſuoſve interceperant ut præconceptam jam à multis annis paſſionem

nem toti mundo manifestam facerent, Parisios recurrunt, Discalceatos Duacenses Jansenismi accusant, sus deque movent omnia, ut Discalceati illi, aut castigentur, aut exulentur: at Rex ipsis æquior & prudentior præcepit tantummodò Vicariatui Torniacensi ut de veritate inquireret, & si vera essent, seriò præmoneret; paruerunt illicò Vicarii Generales, sed rebus omnibus bene examinatis, imposturam agnoverunt de Patribus Discalceatis omninò satisfacti. Patet igitur quam futili & inani fundamento indiscreti illi non tantùm Duaci, verùm & Madriti, Parisiis & Bruxellis, & alibi coram sacris & prophanis Principibus imò coram toto mundo Carmelitas Discalceatos de Jansenismo suspectos reddere tentaverint, imò eorumdem passio in tantum excrevit ut relatione quâdam partim falsâ, partim contortâ gazulas Antverpienses omni astutiâ replere institerint, ut ita præfatos Discalceatos, non tantùm coram viris doctis aut gravibus, verùm etiam coram communi plebe, eorumque mulierculis, seu devotariis denigrare potuissent, sed Gazettarius Antverpiensis, seu earum censor magis discretus rem sive ut indecentem, sive infamem supprimendam judicavit.

Tanti intererat miseris illis, Religiosorum illorum honorem perdere, aut maculare: putasses totum Societatis bonum inde dependisset. Quis non rideat, aut potius defleat tantam miseriam? At fortè dicent, se non omnino convictos fuisse de Jansenismo illorum Discalceatorum ex antecedentibus tantum, verum & maximè ex parallelo quodam inter doctrinam Jansenii & Carmelitarum Discalceatorum quod Duaco se recepisse dicunt & Thesibus ibidem defensis subjectum: at videamus quam futilis, quam manca fuerit eorum proba præcipua. Lector quidam exercitii gratiâ proposuerat aliàs parallellum quoddam in quo clarè exhibebatur aliqualis convenientia scientiæ mediæ Molinisticæ cum doctrina Semi-pelagianorum, opposuerunt & similem Jesuitæ in quo etiam exhibebatur convenientia doctrinæ Thomisticæ seu Discalceatorum Duacensium, cum doctrinâ Jansenii: sed successu verè erubescendo, explosum enim fuit parallelum hoc posterius, & clarè demonstratum partim conficta, partim truncata, partim contorta, & nihil bene intellectum exhibere, sed ne iis probandis, cum tamen ad manum probæ non deficiant, diutius inhæream, veritatem dictorum & falsitatem istius paralleli hoc unico firmabo argumento.

Doctrina Discalceatorum ex opposito exhibita cum doctrina Jansenii majori ex parte desumpta est ex triumpho Thomistarum composito à R.do Patre Carolo ab Assumptione, atqui doctrina hæc à sacrâ Congregatione instantibus Jesuitis omni quâ valent authoritate & potentiâ rigidissimè fuit examinata, & tamen immunis ab omni Jansenismi aut cujusque hæresis maculâ declarata, eademque à pluribus Dominicanæ & Augustinianæ familiæ Doctoribus laudata & approbata, ergo nullam habet identitatem, aut convenientiam cum doctrinâ Jansenii condemnatâ, nisi in imaginatione Jesuitarum: at si verè ut Jansenistica à S. Congregatione judicata non sit, quo

jure,

jure, quâ conſcientiâ tam facilè Jeſuitæ illos quos Eccleſia ab hac maculâ judicavit immunes, prætendunt traducere ut Janſeniſtas, aut eorum fautores & approbatores? Sed ad quid Decreta Pontificum aliorum ſenſa cenſurare prohibentium ſub pœnis gravibus: ſi iiſdem non caſtigentur adeò culpabiles? Sed quid dicam, putant modo eorum horam eſſe, adeoque & omnia ipſis licere etiam impunè.

Verumtamen occaſione Theſis falsò citatæ in præfato parallelo ſilêre non poſſum, paucis hîc referam, quid contigit, ut Jeſuitarum ſinceritas & charitas amplius confirmetur & cognoſcatur. Anno 1665. compoſuerat Lector Diſcalceatorum, & jam diſtribuerat Theſes, in quibus continebatur hæc propoſitio, *Sano ſenſu dici poteſt Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus*, nimirum efficaciter, ſeu voluntate conſequente. Prior conuentus aliique amici illam legentes & videntes non benè ſonare, induxerunt lectorem (non viâ juris ut falsò dicunt Jeſuitæ) ſed amicabiliter, ut Theſes repeteret, & illam propoſitionem corrigeret: repetitæ igitur ſunt omnes, & correctæ: ſoli Jeſuitæ reddere noluerunt, ſimulantes quod illas amiſiſſent, ſed anno 1690. credentes omnes, qui anno 1665. præſentes fuerant, mortuos, vel abſentes, produxerunt in diſputationibus publicis illam Theſim, quam dolosè incorrectam ſervaverant, & ex eâdem probare nitebantur, ſicut modo intendunt, omnes Duacenos Diſcalceatos ante hac præfatam propoſitionem ſuſtinuiſſe, ſed cum caſualiter unus tum adeſſet, qui anno 1665. fuerat, Jeſuitam impugnavit, dolum ejus aperuit & magna ejuſdem confuſione de falſitate convicit: poterit etiam ex hoc caſu fraudulento mundus cognoſcere Jeſuitarum & ſinceritatem, & charitatem, ex unâ, & ex aliâ parte puritatem doctrinæ Diſcalceatorum Duacenſium, qui nequidem ſufferre in Theſibus voluerunt propoſitionem, quæ licet bono modo explicari poſſet, exterius tamen aliqualiter malè ſonare videretur. Sed ad alia tranſeamus & audiamus in ſuis dicteriis proſequentes: *Diſcalceati ſicut & Thomiſtæ omnes in aliquibus conveniunt cum Janſenio*, fatemur, ſed an ideo Janſeniſtæ? Jeſuitæ in multis conveniunt cum Semi-pelagianis, an ideò Semi-pelagiani? Ipſis reſpondendum relinquimus & nos fidenter aſſerimus majorem convenientiam habere doctrinam Jeſuitarum cum doctrinâ Semi-pelagianorum, quam Thomiſtarum aut illorum Diſcalceatorum cum doctrinâ Janſeniſtarum: hoc clarè evictum lector reperiet in triumpho Thomiſtarum.

At iterum ſubdit noſter pſeudo Elias: *Quo demum apud adverſarios loco ſit doctrina Janſenii patet; cum ex dictis hactenus, tum ex eo quod illum ubique laudibus efferant: nunc inclytum vocant Theologum nunc in Auguſtino oculatiſſimum, & alibi in principiis Auguſtinianis nutritum, ac denique in propugnandâ gratiâ efficaci naturæ infirmæ mirabilem, & vix aut ne vix quidem funeſtum ejus in quinque Propoſitiones ab Eccleſia damnatas caſum deflentes.* Quis hæc audiens in Thomiſtarum triumpho vel leviter

viter versatus satis se temperet & non commoveatur in tam manifestum impostorem? Vix verbum est, quod aut imposturam non contineat vel apertam non prodat malitiam: misera res, si ut diffamentur honesti, ad impostorum latibula recurrendum sit: nil hic aliud agit, sicut & in omnibus quæ deinde adfert noster pseudo Elias pro suis calumniis statuendis, quam meras allegare imposturas, mihi tempero, ne dicam manifesta mendacia & merè adinventa ut simplices, aut ignorantes decipiantur & malam de prædictis Patribus opinionem concipiant vel ut hæreticos repudient. An fortè putavit quod pueris aut stipitibus scriberet qui fontem ex quo hæ laudes desumptæ dicuntur consulere nollent aut non possent? Lector judicet quo sensu laudes illæ depromantur in Libello cui titulus *Funiculus triplex*, in quo vix aliud agit author quam impugnare & corripere doctrinam Baii, Molinæ, & Jansenii: procul abest quod erroneam Jansenii doctrinam extollere videatur, sed textum audiamus; *tres inclyti Theologi Bayus Molina Jansenius, ... à veritate numquam deviassent si sanctum Augustinum à Thomâ non separassent, vel nova adinveniendo sicut Molina, vel litteræ inhærendo ut Bayus, vel utrumque, & Molinam & Baium sectando uti Jansenius:* penes te ergo judicium sit Lector, num nomen inclyti in laudem doctrinæ Jansenii erroneæ usurpet ille, qui apertè declarat eum à veritate deviasse? Anne propositiones quasdam Lessii aliorumque damnatas extolleret qui nomen inclyti Theologi illi tribueret? Quid igitur in laudem doctrinæ erroneæ affirmat qui dicit inclytum Theologum turpiter errasse: sed ad secundum properemus honoris titulum. Dicit pseudo Elias quod Author funiculi triplicis scilicet R. P. Carolus Brias sub nomine Philalethis dicat *Jansenium in Augustino oculatissimum:* manifesta impostura est, hæc enim sunt verba in funiculo descripta........... *Cernis cordate Lector quomodo in eandem cum Molina foveam ceciderit, qui dicitur in Augustino oculatissimus.* An hoc est laudare doctrinam Jansenii, & ex suo asserere Jansenium in Augustino oculatissimum? Prosequamur mentientem sibi iniquitatem. Dicit prætera quod Philalethes dicat Jansenium in principiis Augustinianis enutritum: hæc sunt verba Philalethis: *Sæpè mirabundus fui quomodo in virum principiis Augustinianis enutritum & quotidie libros Augustini magno labore evolventem scientia media, ejusque fætus gratia versatilis cadere potuerint.* Numquid sic potius casum, & errorem Jansenii deplorat, quam doctrinam exaltet? & certè, nonne mirandum est, quod vir, qui in Universitate Lovaniensi ubi particularis fit professio in principiis doctrinæ Augustinianæ discipulos enutrire, ut saltem putant, à principiis Augustinianis vir tandem factus deflectat: quid hic in laudem doctrinæ erroneæ? At prosequitur noster pseudo Elias, prædicat ipsum *etiam mirabilem in propugnanda gratia naturæ infirmæ* iterum imponis & textum truncas astutissimè. Hæc habet Philalethes *Jansenius gratiam efficacem, cum ceteris Theologis in naturâ infirmâ propugnat: in quo conjungens*

Augustinum Thomæ se mirabilem præbuit, hoccine dicere absolutè quod in defendendâ efficaci gratiâ sit mirabilis? Quid stolidius? quid dialectico magis vitiosum, quam ex propositione particulari inferre universalem? dicit Philalethes quod quam diu Jansenius in materiâ de gratiâ efficaci Augustinum Thomæ conjunxit, mirabilis fuerit: verum dum in eadem materiâ Thomam sejunxit ab Augustino, turpiter errasse sæpius asseruit; falsissimè igitur prosequitur noster Pseudo Elias & dicit, *vix aut ne vix quidem casum deflentes* (nimirum illi Discalceati) *in quinque Propositiones ab Ecclesiâ damnatas.* O pseudo Eliam! an hic te appellare non valeam verè malitiosum? Putasne nos credere te tam peregrinum in doctrinâ Philalethis, ut ignores quomodo Philalethes condemnatas quinque Propositiones Jansenii reprobet, damnet, & impugnet? *Damnavi* inquit *in triumpho Thomistarum primam propositionem Jansenii, & adhuc damno in omni sensu ab Ecclesiâ damnatam:* eodem tenore alias damnatas damnat & impugnat, protestaturque *Se omnes Bullas Pontificias summo habere honori, ut par est Ecclesiæ Romanæ filium, quam esse columnam credit & firmamentum veritatis, absit* inquit *ut in aliquo à Decretis Pontificum abscedam.*

Hæc est professio, hæc protestatio sincerissima illius, qui non nisi in omni sinceritate sicuti vixit ita & docuit: fatemur quidem in scribendo stylum habuisse parum gratum & aliqualiter rudem aut mordacem, at prætérquam quod contra sentimenta Molinistarum scriberet, qui injuriosissimis illum calamis mordebant, animo tamen semper placido, semper pacifico, stylo suo naturali, exterius tantum aliqualiter rudiori respondebat aut sua sentimenta proferebat, ut potius, si quæ fuit ruditas militari genio cui aliquando junior indulserat tribuendum fuerit, quam perversæ ejus voluntati: hoc testari nos possumus qui cum viro summè Religioso viximus & quem his aliisque pœnitentiæ & virtutum operibus in tantum addictum vidimus ut tribus horis dumtaxat demptis, quibus somno indulgeret, totam deinde noctem orationi, contemplationi & exercitiis spiritualibus, & subinde studiis consecraret. Hæc per transennam dicta volui, non tam ut mundus cognoscat virum in sæculo illustrissimi Archiëpiscopi Cameracensis Germanum, in ordine Religiosissimum, sed ut à suis Jesuitæ facilius liberentur præjudiciis, qui tam facilè & virum judicant, & doctrinam damnant personæ quam modò in cælis gloriosam dubitare vix possumus. Procul ergo pueriles aut satyricas quas noster Pseudo Elias subdit, interrogationes & exclamationes, illi viro sicut & aliis Duacensibus maximè injuriosas. Verum ut aliqua earumdem specimina referam ne Mundus judicet me illorum more imponere velle aut illudere: postquam tam injustè, quam falsè præcedentia retulerat prosequitur & exclamat: itane filioli mei, sic *Doctrinam profitemini Thomisticam? Sic Augustinianam? Sic Elianam seu verè Catholicam? Quid igitur tandem Janseniare est? Quandonam Ecclesia tam magnificis Jansenium quinque Propositionum hæreticarum infelicissimum parentem encomiis*

Reprehensionem

miis exornavit? Si mores tantum Antiſtitis laudarentur, ~~*laudationem*~~ *fortè non mereretur elogium*, SED EJUS ERRORES GRAVISSIMOS, TURPISSIMAM UBIQUE CUM HÆRETICIS CONSPIRATIONEM, LAPSUS TOTO PASSIM OPERE EXITIALES CONDECORARE LAUDIBUS TAM INSOLITIS, *neſcio cujus ignorantiæ, ſocordiæ, cæcitatis, vel malevolentiæ & fidei non ſatis Catholicæ argumentum ſit.* Quis hæc audiens non obſtupeſcat? Non admiretur exorbitantem iſtius pſeudo Eliæ paſſionem aut malitiam? Poſſetne magis falsè, magis ſcandalosè aut injuriosè? Quis unquam Carmelitarum errores Janſenii graviſſimos, turpiſſimam cum hæreticis conſpirationem &c. inſolitis & magnificis ornavit encomiis? Nonne jam evidenter monſtratum Philalethem alioſque omnes Diſcalceatos, damnatos Janſenii errores ejuſque caſum infelicem deflere, deteſtari & abjurare? Nonne clarè evictum eſt in ſenſu alio longè diverſo Philalethem uſum fuiſſe terminis illis utcumque honorificis? Sed demus in ſenſu ordinario Janſenium vocaſſe inclytum præclarum, in Auguſtino oculatiſſimum, aut in ejus principiis enutritum aut mirabilem, eſtne hoc inſolitis & magnificis *errores ejus* laudibus extollere, & *turpiſſimam* ejus ut dicitis *cum hæreticis conſpirationem?* Quæ paſſio mi Didace te, adeò excæcavit, ut tam horrenda Diſcalceatis exprobare non verearis? Dic mihi ſi Leſſium, alioſque Societatis Doctores vocarem inclytos, præclaros, in Auguſtino oculatiſſimos &c. an injurius eſſem Societati aut Catholicæ Fidei? An ideò damnatas ejus propoſitiones in ſolitis decorarem encomiis? nonne evidenter aliud eſt, laudare talenta naturalia, ſive ea quæ laudari poſſunt etiam in hæreticis & laudare damnatos eorum errores? Quis non niſi inſanus aut obcæcatus hæc dicat? Sed quid ſi Philalethes dixiſſet in omnibus ejus operibus eſſe *non niſi ingentem & ſublimem ſpiritum?* Quid ſi ſcripſiſſet *Catholicos ſcriptores ipſi Wiclefo* aliiſque hæreticis *multa debere & paratos gratanter ab ipſis correptionem recipere*, an hoc verè non eſſet hæreticare? An verè non eſſet blaſphemare & damnatos errores miris celebrare encomiis?

Quamvis ad manum habeant citata loca, quibus hæc probare poſſunt: non ideò filii tui Jeſuitas dicunt aut hæreticos, aut hæreticorum & damnatorum authorum Patronos, fautores, & approbatores. Vide ergo PATER SANCTISSIME, quam ſaniori ſpiritu agantur filii tui, qui poſt tantas Religioni tuæ & toti Eccleſiæ illatas injurias tandiu ſilere maluerunt quam Religioſos viros cenſurare, diſcordias ſeminare, & tot & tanta inter puſillos ſcandala cauſare: imò novit *Sua Sanctitas* qualiter hæc & infinitè plura hîc adducere poſſem quibus eorum calumniam & Chriſtianam filiorum tuorum patientiam evidentiſſimè valerem demonſtrare: ſed ut dixi pius erga Religionem, erga ſanctam Eccleſiam affectus occultare cogit, quæ ex his & aliis honor Diſcalceatornm ſic violatus peteret revelanda.

Sed videamus ulterius an nondum continere ſe potuerit hæc lingua maledica: non ſuffecit illi omnes aut Theſes, aut Libellos Diſcalceatorum evolucre,

 lucre,

lucre, quos ab aliquot annis imprimere potuissent, etiam ad scripta seu attestata à quinquaginta & amplius annis recurrit, explorat & investigat omnia, & ubi *trecentos* reperit doctrinæ Jansenianæ approbatores, inter illos etiam nonnullos reperisse se dicit *Carmeli socios quorum attestationes quoties in oculos incurrunt fontes illi exprimunt lacrymarum*? Deus bone! quis non non afficiatur, quis non compatiatur tam charitativo, ac teneræ pietatis viro? Vach potius versipellem sub ovinâ pelle alieni honoris lupum rapacem? Non deflet trecentos omnium omninò absque ulla exceptione ordinum & graduum etiam Episcopali & Doctorali laureâ insignes viros, & Religiosos præclarissimos, & tamen lacrymatur imò fontes exprimit lacrymarum dum intuetur duorum aut trium Discalceatorum attestationes, satis siccas aut steriles! nequidem ingemiscit, aut suspirat dum integras videt universitates, easque præclaras, honorificis doctrinam Jansenianam extollere encomiis, & tamen flet, ejulat, in lacrymas solvitur, imò præ dolore parturit, dum tres Discalceatos videt simpliciter subscribentes doctrinæ Jansenianæ tum temporis minimè condemnatæ! ô Quantum debes Sancte PATER ELIA illi viro tuo ordini tam devoto, tam piè affecto tuæ Religioni? Silet quot habuerit doctrina Janseniana reprobatores Discalceatos, quantos habuerit deinde impugnatores & in sacrâ congregatione consultores eandem doctrinam condemnantes, imò quàm innumeros habuerit & etiam num habeat per totum Orbem adversarios potentissimos qui doctrinam Jansenii ex professo impugnant & funditus evertunt: hos supprimit, hos occultat præclarus Discalceatorum Encomiastes, & recurrit ad annum præsentis Ævi 1641. ut duos tresve reperiat qui doctrinæ Jansenianæ nondum damnatæ subscripsissent, ut eo titulo coram mundo universo traducere valeat in particulari ipsos Discalceatos tamquam fautores hæreticæ Jansenii doctrinæ. Quid tibi videtur PATER SANCTE quam viro huic mercedem dabimus pro tanto erga tuos charitatis affectu? An forte cum dimidiâ bonorum parte foret contentus? Non puto quia tam exigua dedignantur potentes: omnia quærunt & sperant pro præclarissimis quibus deinde laudibus & encomiis extollunt Discalceatos. Sed audiamus præconia aut potius convitia *Cogitabam* inquit *nimirum duos aut tres illos* Discalceatos *tum temporis lapsos fuisse cum multis, nihil heresios, nihil fraudis in volumine illo tum suspicantes: nunc autem post condemnationes tam claras tam solemnes eandem doctrinam* PROBARE, AMPLECTI, EXTOLLERE, QUIS FUROR, QUÆ IN SANIA? *vix me contineo quin ejusmodi Theologos* Carmelo *deturbem & ex albo eradam filiorum*. Quis umquam magis injustas magis insolentes vidit aut legit invectivas? Sed quis hæc legens non judicaret plures Discalceatos hæreticos esse, aut eorum saltem manifestos fautores & Patronos? An non liceret hîc potiori jure retorquere scandalosas illas voces in virum tam parum Christianum, & illi dicere. Quis te pseudo Elia furor abripuit, quæ vesania te obcæcavit quæ mania te adegit ut tam effronter publicare non vereris

rearis

rearis Religiosissimos viros *probare*, *amplecti* imo *extollere doctrinam hæreticam & damnatam*? An tibi ulla Christianæ pietatis aut charitatis superest scintilla ubi tam facilè, tam injustè tam scandalosè, tot, tantisque injuriis, convitiis & ineptiis publicè proscindis probatæ fidei & doctrinæ viros?

At tibi furibundo aut vesano nondum sat fuit præclarum illum virum, aliosque Patres Duacenos calumniatum fuisse. Alium modo aggredi etiam libuit, nimirum *Patrem Agatangelum*: Sed quæ hujus culpa tam gravis ut propterea Oropega adactum se jactet zelo fidei & doctrinæ Catholicæ hunc virum singulariter impetere, redarguere, & publicè infamare? Ab amicis rogatur hîc ut censurare dignaretur doctrinam de gratiâ in Epistolâ quadam *Eximii Domini de Swaen* contentam: Pater hîc nihil mali subodoratus doctrinam prout in Epistolâ explicatur, sicut & illam quæ in Thesibus DD. de Laleu & Rivet à Dominicanis, ut credimus, compositis, & ipsi exhibitis declaratur, cum terminis & modis Thomisticis describeretur, verè Thomisticam & Augustinianam judicavit, nullum omninò directè aut indirectè tangens, impetens, aut accusans: ecce totum ejus peccatum: quod gravissimis quod centenis dignum invectivis & correptionibus judicavit Oropega, dignum, ut ipse aliique Discalceati ut Jansenistæ & hæreticorum approbatores & fautores publicè traducerentur.

Si sufficisset Oropegæ satis incautum dixisse Patrem Agatangelum, facilè tolerassent ejus amici, sed quod propterea tam putido Jansenismi mangonio fascinatum dignumque pluribus invectivis divulgare voluerit Oropega aut ejus socius, nonne planè injustum, indecens, & absurdum?

Theses conceptæ sunt terminis & sententiis Thomisticis: nullæ sunt qui damnatas Jansenii propositiones explicent seu declarent: si à Dominicanis vel Augustinianis fuissent compositæ, aut exhibitæ, nullus fortè fuisset qui non approbasset aut signasset, sicut ab aliis Doctoribus accepimus: quid ergo cohibere debuit Patrem Agatangelum, imò quid non debuit ut amori veritatis & charitatis faceret satis? Charitas non cogitat malum, omnia bene interpretatur, ubi bene possunt interpretari, amor veritatis congaudet illam reperire maximè in iis ubi vel obscurata vel exulata credebatur: hic ergo solus amor movit præfatum Patrem ad subscriptionem seu approbationem illarum. Sed dicet noster Didacus: debebat & poterat scire Theses esse Jansenistæ, unius, qui alium sensum intendit quam verba referunt, unius qui Janseniano sensui nuntium remittere nullatenus voluit. An adhuc Jansenistæ sint, aut fuerint Eximius Dominus de Swaen & alii duo Superius nominati, nos hîc non inquirimus: non enim omnem eorum doctrinam aut sentimenta approbavit prædictus Pater Agatangelus, sed solummodò Epistolam illam, & conclusiones illas Thomisticis terminis conceptas, miminè verò septem famosas illas Duacenses Jansenismum non obscurè redolentes. Habeant seu habuerint illi alium in mente conceptum seu doctri-

doctrinam etiam damnatam, nihil ad Patrem Agatangelum, sufficit ad ejus excusationem quod Theses illæ & Epistola illa prout jacet, te fatente, *sensum patiantur Thomisticum* & in sensu Thomistico & Augustiniano queant explicari : nihil ergo habet quod adeo inculpes gravissimè, nisi fortè fuisse incautum. Sed demus fuisse incautum: an ideò licitum Oropegæ ipsum, aliosque de hæresi Jansenianâ accusare, ubi constat & ipsum suosque esse Jansenismi impugnatores & adversarios, quod in pluribus aliis occasionibus demonstravit? An ideo fingendum tam liberè eumdem Religiosum amore potius cupiditatis potus & cibi, quam veritatis hanc dedisse approbationem? An ideo justum & rationabile illum admonere ne tam facilè abduci se sinat aut Evangelium venale habeat sicut cuidam Fratri Eugenio accidisse fertur? Nescimus propriè quis sit ille Frater aut Franciscus Eugenius qui tam facilè captus fuit & graviori ruinæ proximus : hoc tamen scimus Carmelitam Discalceatum non esse, quia si talis foret illum suo nomine, suis titulis, & quidem ad longum describere non omisisset infamis ille Discalceatorum calumniator, prout in omnibus, ubi potuit, fecit, & centies plus quam potuit. Sit igitur Jesuita, sit Minorita, sit quiscumque alius, hoc solùm nos tangit: cùm vilis & infamis sit, cùm illo numerare aut nominare non debeat sanæ virtutis aut doctrinæ Religiosum. Excusas quidem te quod non asseveranter hoc dicas, sed dubiè tantùm, imò te vix credere. At sani omnes facilè intelligunt quid per tam absurdas præteritiones & admonitiones velis. Precor ut ad se & suos reflectat, nam & ego timeo cum majori fundamento, quod si non in illis quinque famosis propositionibus, in aliis multò magis perniciosis plures ex tuis, Assèclas, Encomiastes, imò fautores & protectores comperturus sis: illos corrigat, illos corripiat, indubiè majorem & laudem & fructum tuæ Societati & toti Ecclesiæ Dei allaturus. Occupas te in vanis, in speculativis & parum utilibus, in istis teipsum & alios perdis, charitatem turpiter fædas & laceras; uno verbo plurimas inter Catholicos discordias, & inter Hæterodoxos scandala causas: quorsum hæc omnia? *ut fidei intrepidus defensor aut zelator appareas?* talem te esse & tu & alii jactitant. Sed ô vanam & infundatam jactantiam! verus zelus ex charitate nascitur, illam nec ore, nec opere profiteris. Si illa in corde aut opere tuo foret, non sic publicè unum & alium corriperes aut infamares. Evangelica charitas peccantem fratrem in secreto corripit. Superioribus deinde discretè denuntiat, si hoc non facit, cupiditas potius, quam charitas credenda est, inflans potius, quam ædificans charitas nuncupanda est. Indocti Pater mi, & humiles Cœlum rapiunt; faxit Deus cum doctrinâ tuâ, aut fucatâ eloquentiâ in carne aut sanguine non volutareris! Sciat interim simili zelatore in Paradiso opus non esse, neque similem pro filio admitteret Elias, ocius cœlo exturbaret, nam & verè timeret, mox totum perturbaret. Deus det è catalogo Ignatianorum non eradatur: nam in suis non tantùm non

desistit

 568

desistit calumniis, sed infame scriptum novis & pluribus concludit calumniis, ne dicam scurrilitatibus quales ex ore unius veri Ignatiani prodire non deberent.

Scio jamdiu digitos pruriisse ut alium quemdam diffamaret, quia in verbo socium Oropegæ offenderat: tanti est vel semel aliquem ex Societate etiam in minimo læsisse: sed quali modo hoc faciat videamus.

Putat aut simulat in primis ipsum fuisse Eliæ Secretarium, *novellum* vocat *Juvenem*, *imprudentem*, *præfidentem quidem animi sed insulsum planè*, *maledicum*, *& minimè religiosum.* Possetne melius aut elegantius hîc Encomiastes? At hæc non sufficiunt: *styli sui elegantiâ & acrimoniâ multum sed vanissimè gloriatur:* nescit an non audierit *non ita pridem ut puerum discolum & immorigerum è Syntaxi virgis expulsum:* imponit prætera, quod chartulam sub titulo VIVA JESUITARUM DELINEATIO impressisset *& divulgasset* adeoque ut stultum, insanum, ad Theologiam edocendam indignum persuadere omnibus satagit. Possetne scurrilem discolum & infamem describere melius aut accuratius hic eloquentiæ Magistellus? Quot enim verba tot absurditates, tot imposturæ, ne dicam etiam mendacia. Imprimis imposturas esse manifestè constat: ipse enim S. Eliæ Secretarius ut audivimus Oropega aut ejus Magistello senior est, numquam discolum novimus aut immorigerum, neque filium ullum novit Elias virgis expulsum aut famosorum libellorum authorem: Secretarium tuum novimus & bene, PATER SANTISSIME, novimus verè Religiosum & verè honestum, neque maledicum ut Oropegam ejusve socium Magistellum: puderet & tæderet ipsum tam scurriliter scribere, aut alios tam graviter quam falsò diffamare, sicut absque ullo conscientiæ remorsu tam scandalosè facere non veretur hic Magistellus. Sciat Pater mi Eliæ Secretarium ne quidem Discalceatum esse, aut fuisse umquam, adeoque patet tam falsissimè quam injustissimè sic diffamasse, & non nisi pro genio maledictionibus propenso satisfaciendò hæc à te fabricata: sciat prætera neque scivisse neque scire potuisse neque umqnam audisse quis impresserit supradictam schedulam in qua ad vivum tua delineatur loquacitas dum dixit Societatis Generalis *nonnullos esse*, & ego dico superesse *qui aliena dicta seu facta nunc amplificata augent*, *nunc in deteriorem partem accipiunt ad motus animi*, *atque concilia à Deo judicanda progrediuntur*, *& res neque gestas umquam neque per somnium quidem oblatas comminiscuntur*, *jactant*, *& publicant* non *fine gravi charitatis & justitiæ incuriâ.* Quid enim evidentius quam quod ibi ad vivum depingaris? sed progrediamur, & dicimus ulterius, Eliæ Secretarium te fortè aut eloquentiorem aut saltem in doctrinâ & eloquentiâ non inferiorem: si incuriâ Copistæ cujusdam aut Impressoris errores nonnulli typographici inscio authore irrepserint quos & author abhorruit, hoc illis, non Secretario imputandum, qui plura jam vel ex parte vel ex toto correxerat priusquam lucem videret pseudo Eliæ scriptum: sed quoad errorem quem substantialem

lem judicat noster Magistellus, se ignorantem potius fateatur, quam Sciolum. Nonne sæveritas & suavitas duæ diversæ fuerunt in animo Eliæ dotes? An fortè unius tantùm dotis duplicem spiritum petiit Elisæus? Nonne bis duplices bis geminæ rectè scribuntur? Si hoc in suâ non legit Rhetoricâ Sciolus noster, consulat SS. Patres, & reperiet Elisæum non fuisse avarum in petendo, utpotè qui duplicia, seu plura petiit, quam Magister possideret. Quid igitur nisi errores typographicos habet quos corrigat Magistellus? & cùm de virgis & ferulis mirâ complacentiâ loqui videatur ut navita de ventis, ad scamna & angulum relegandus foret præsumptuosus & maledicus hic Magistellus, qui tot imposturis, tot falsitatibus modis magis scurrilibus quam religiosis impetere præsumpsit Eliæ Secretarium. Utinam cum iis Deo satisfacere posset ad abluendum maculam & pœnam debitam tantis delictis. Sed quid immoramur his puerilibus sive scurrilibus? pudet iterum me: sed ne nimium glorietur, aut in suis infundatis malitiosè præjudiciis persistat respondere etiam invitus debui pueris secundùm puerilitatem, sicut & stultis, monente Scripturâ secundùm stultitiam suam. At nondum finis convitiorum & imposturarum: tam in illis publicandis dives est, & gaudet vanus noster Oropegæ socius seu Encomiastes.

Refert quemdam *F. Leandrum apud Dominicanos quamvis nulla in thesibus mentio fieret nec inter argumentandum ab ullo facta fuisset, argumento suo ita præfatum: dicerem aliquid de Oropega Impostore omnium insignissimo, sed malo tacere quia semel propter aliquid à me in disputatione dictum apud & contra PP. Augustinianos & malè ad Superiores meos delatum, jussus sum Lovanio migrare.* Hujus facti veritatem volui exactius inquirere, ut unum saltem veritatis punctum reperire possem in infami hoc pseudo Eliæ scripto, sed ecce reperio quidem aliquam veritatem, sed tot falsitatibus palliatam ut veritas dici non possit, prout varia Doctorum & Theologorum tum præsentium scripta quæ penes me sunt, testimonia referunt. Primò enim falsum est, quod *F. Leander* dixisset quòd propter aliquid à se dictum apud Augustinianos jussus esset Lovanio discedere, si quid dixit fuit apud Dominicanos, non Augustinianos, secundò non dixit istam causalem *quod ideò Lovanio discedere jussus sit:* hoc enim nec dicere potuit cùm falsum sit; verum tamen est, dixisse ad Superiores delatum fuisse & falsò accusatum in aliquibus, *sed quia in aliquibus bene, ideò punitum*, sed alio modo *etiam audivimus:* utinam Societas suos maledicos tam facilè castigaret! neque enim pro hac ultimâ, quam fatemur etiam culpam, pœnam gravem facilè evaderet ille, ut credimus, nisi Superioribus constaret Jesuitarum informationem majori ex parte falsam esse, & Jesuitam suo exemplo occasionem ruïnæ dedisse Carmelitæ: nam ut authentica fert informatio, Jesuita prius Præsidem Dominicanum hoc aggrediebatur argumento: *vos estis impostores & quidem insignes, ergo Thesis, &c.* an non præclarum exemplum? Sequitur deinde F. Leander, incipit suum argumentum & occasione

ne

ne dictorum adiicit, *putabam aliquid dicere de Oropega impostore omnium in signissimo &c.* Videat ergo Lector an jure meritò in has exclamationes absurdas prorumpere debuerit Oropegæ socius sive Magistellus; quænam est *ista hominis inaudita hactenus imprudentia? Haccine publicè à Professore Eliano? Haccine a moderatoribus audiuntur & dissimulantur? an ejusmodi Professore nobis Lovanii opus est? Quo tandem recidimus si talis præfigi debeat Junioribus nostris norma, si sine tali Professore res nostra Theologica Lovanii collabetur?* Videte absurditatem.

Non est imprudentia hactenus inaudita pro Jesuitâ quod sic ex professo argumentum suum exordiatur ut ante relatum: & est pro Eliano, qui tamen non nisi per transennam tantùm & ad exemplum Jesuitæ ista dixit.

Lovaniensis Academia tolerat & audit similem Jesuitam & non posset talem sufferre Carmelitam.

Junioribus Jesuitis præfigitur Jesuita impænitens, & non posset præfigi Carmelita qui suam cum humilitate culpam fatetur.

Nihil humani à se alienum putat ille Carmelita, & de suo delicto vanissimè gloriatur iste Jesuita.

Quid videtur judici æquo & justo, an Theologica Facultas Lovaniensis collaberetur si tali Jesuitarum Professore careret?

Vide ergo Pseudo Elia quam parum fundatè similes maximè odiosas exclamationes attuleris, & quam melius fecisses hæc supprimere potius, quam tam injuriosè propalare ad tuam & aliorum confusionem: sed demus quod hæc dixisset; ponamus quod hæc & alia plurima, quæ ante longo calamo de scripsit delicta falsissima, forent præfato Patri attributa; an tibi licitum violare leges omnes charitatis & justitiæ? an Jesuitica charitas docet secreta, sopita, aut occulta aliorum delicta publicè & quidem scripto revelare, exagerare, iunumerisque proscindere convitiis?

Quod si nulla in te species charitatis sit, an saltem nec gradus Jesuiticæ politicæ reperibilis est? Sanè si talia aut charitas aut politica vestra doceat, insani sunt parentes, qui similibus suos educandos committunt, qui delicta juventutis filiorum, in ætate provectâ, resuscitare, exprobrare & toti mundo revelare non verentur. Sed quæ major excogitari potest in similibus impudentia, quam unius, aut alterius delictum velle trahere in aliorum despectum, & totius ordinis infamiam, imo totum ordinem toti mundo velle reddere suspectum de hæresi Jansenianâ, aliisque vitiis, & miseriis? Sed indignantem videor audire magistellum, quis totum ordinem turbavit, quis illum diffamavit? Tu, & domus Patris tui turbastis & diffamastis, olim Papenbroeck, postea Didacus, nunc Magistellus, hic heri, hic hodie, alter perindie, & sic per te tuosque ubique diffamatur ordo; varios particulares diffamastis, totum ordinem in famoso illo memoriali Hispanico accusastis, omnes Duacenses Parisiis, omnes omnino Duacenses in illo parallelo, novissimè quidem tu sciole, noviter & Didacus de Oropega. Sed

ubi

ubi? refert eos, qui damnant doctrinam Jansenianam, citat minoritas, *Carmelitas Calceatos*, dolosè illos ab excalceatis distinguens (ubi tamen eos nominare debuisset) de illis silet. Nonne hoc est apertè, si non accusare, saltem in suspicionem adducere Jansenismi? An de his aliisque vitiis verè suspectos reddere permittit ignatiana charitas? Scio quod non, & ideo merito vereor cum vestro MUTIO VITELLESCO; *ex fonte hoc*; id est maledicentiæ vitio, seu Christianæ & Ignatianæ charitatis defectu *universe derivari mala, quæ æquissimo Domini judicio tolerat* Societas, addo ego, & quod centena alia damna Societati obventura sint si quod sub litteris prædixit Seraphica Virgo Theresia, honestiorem ori custodiam non apponant Jesuitarum non nulli, & majorem cum Carmelitis fovere negligant amicitiam: hoc tamen justitiæ, & charitati volumus litatum; Quod de prædictis vitiis notatum non intenderimus aut intendamus totam Societatem: Fatemur, & quidem libentissimè, quam plurimos in Societate honestissimæ charitatis, & discretionis viros superesse, paucos tamen perstrinximus verè nimium maledicos, neque tamen idcirco Discalceatos omnes justificamus quasi nihil reprehensione in istis aut aliis materiis dignum non nulli scripsissent aut dixissent, sed hoc unicè optamus, ut quod suo exemplo Superiores Ordinis Eliani præstant eximiè, nimirum plus nimio loquaces quam primum corrigendo, & unius culpam, quam fortè in Societate reperiunt non statim trahendo in totius Societatis infamiam: hoc idem etiam præstare dignentur Societatis moderatores, quod tamen huc usque non præstiterunt, sic & facilius, quæ jam jam Duaco & Bruxellis nobis scribuntur tremenda, supprimi poterunt & celari..

Scribunt enim non nulli se facillimè probare posse (sed vix credimus) ex iis, quæ vestrum aliquis novissimè impressit, quod non Major fides aut Reverentia debeatur Historiis Ecclesiasticis quæ maturo etiam prævio examine referuntur in Bullis aut diplomatibus Pontificum, quam iis quæ habentur in Alcorano Mahumetis aut Libris Calvini, & Lutheri: Scribunt præterea, vestrorum non nullum novissimè probare quod & Concilia & Pontifices facilè errare valeant, & erraverint censurandis aliorum Libris: Item quod plurima quæ habent Jesuitæ, desumpta sint ex Hæreticorum, Apostatarum & æthnicorum Libris &c. Taceo plura alia: an meliores Authores, & Saniores non habet Societas? An similia, si vera sint melius non supprimeret?

Sed quod de Sacro Scapulari aliisque piis Religiosorum Confraternitatibus etiam indicare videntur Litteræ non sine omnium Carmelitarum Summo dolore, quod D. Van Espen in iis quæ *more Hæreticorum* Scripsit, ut fatetur Oropegæ Encomiastes, antesignanum habuerit Jesuitam, & unus, & alter, Hæreticum quemdam. Horreo hæc & alia audire, non credo, cum otio tamen, & Loca & Libros, quos citant, pervoluam.

Quod Jesuitarum Litteræ ut in fine additur insinuare videantur aliquem è Carme-

Carmelitis negasse quinque Propositiones famosas non reperiri in Jansenio, sicut & illud quod sequitur, non credimus: quia nimium fallaces illæ esse solent, & aliunde scimus nullum reperiri, aut reperiri posse Elianum qui hoc non fateretur. At quam maximè hoc optant Eliani, ut tanto Charitatis conatu Jesuitæ afficiantur Discalceatis, quanto Discalceati feruntur erga Jesuitas. O utinam saltem in hoc cum Mutio vitellesco renovatam videremus Societatem! quam Deo, & hominibus gratior foret! hæ preces hæc vota erunt præcipua eorum, qui cum Ecclesiâ hisce festis orant quotidie: Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde, ut, quos Sacramentis Paschalibus Satiasti, tua facias pietate concordes. Faxit Deus per merita Sanctorum Eliæ, & Ignatii.

Quorum Devotissimus Cliens
ELIÆ *Secretarii consodalis.*

P*Ost scriptum.* Dum his finem imponere pararem, ecce os Dominiad me loquitur per Decretum 19. Martii 1692. Româ missum à SS.D.N. *Innocentio XII.* qui superbis resistens, humilibusque largiens gratiam veritatis, infallibili æternæ veritatis spiritu illustratus Libellos quosdam justâ damnatione proscripsit. Et ecce in calce offendi Libellum cui titulus *Fraus quinque Articulorum primum Alexandro VII. dein iterum Alexandro VIII. obtrusorum sive eorum cum Augustino Iprensi convenientia per Cornelium à Cranenbergh*: Hic fateor obstupui. Quid? *Cornelius à Cranenbergh* Romæ condemnatus sit? quis credat nisi videat? Cornelius à Cranenbergh, qui fraudem Jansenistarum detegere, & sub larvâ fraudis Jansenisticæ Thomisticam Doctrinam impugnare studuit inventus sit fraudulentus? quis non miretur? Cornelius à Cranenbergh, quem Jesu Socii tantis laudibus evexerunt, falsus sit accusator, & falsitatis spiritu adactus? Quis nonobstupescat? An ergo falsarios laudare familiare sit Societati Jesu? Absit, etenim ante damnationem zelo & affectu erga illum Theologum non omninò ignotum excæcari potuere Socii, sed nunc (uti humiles esse debent, & rigidi Pontificiorum Decretorum observatores) captivabunt intellectum in obsequium fidei tam quoad factum, quam quoad jus. Non dubitem, quin ex nunc apertis buccis congratulentur Ecclesiæ in Cornelio à Cranenbergh falsitatem, & fraudem detegenti. Quid? Vix me contineo. *Cornelius à Cranenbergh*! Papæ! Ergone & falsitatis filius *Didacus de Oropega* qui ambabus ulnis eum amplectens defensor ejus strenuus, & magnus exstat encomiastes. Planè: est & hîc ejusdem falsitatis maximè particeps: neque enim hoc negare potest, nisi iniquitatis filius: nimis clara sunt ver-

ba ejus in primâ parte difficultatum E. D. de Swaen propositarum sic exarata. fol. 44. *Adi Cornelium à Cranenbergh inspice demonstratam ab eo fraudem quinque Articulorum primum Alexandro VII. dein iterum Alexandro VIII. obtrusorum, sive eorum cum Augustino Iprensi convenientiam: quidquid ab eo editum est approbo, nec minus quam si à me scriptum foret, adversus obtrectatorem quemlibet defendendum suscipio. Quamvis Cranenberghio nec otii, nec animorum minus sit, quam mihi ad retundendas quascumque adversantium criminationes praeclusum illic reperies quidquid effugiendo Pontificum Anathemati serò investigasti.* O indecorum falsitatis Encomiasten! Didacus de Oropega falsam, damnandam & damnatam doctrinam adoptat ut propriam & defendendam suscipit adversus quemlibet obtrectatorem? Didacus de Oropega, quem tam zelosum veritatis amatorem pseudo Elias depinxit? Didacus de Oropega qui (ut loquitur pseudo Elias) *Veritatis scuto inexpugnabili tectus & rationibus rostroque satis armatus, nec minis terrendus, aut insanis clamoribus, machinationibus inusitatis* impetitus appensus est in staterâ & inventus est minus habens? Quis crederet nisi ipsum in *Cranenberghio* condemnatum cerneret? quam audax hîc encomiastes! doctrinam Cranenbergii adversus obtrectatorem quemlibet defendendam suscipit. An ergo obtrectatores Cardinales, & doctissimi Theologi doctrinam ejus perscrutantes, & falsam reperientes? An obtrectator Innocentius XII. eam condemnans? Absit ut vel Didacus (alias satis perfrictae frontis) hoc evomat. Meliora spero, ac opto, ut iniquitas ejus opilet os suum, & tam putidas laudes imposterum contineat. Valedicat igitur Didaco Joannes Brusselius in laudibus Didaci plus justo excurrens. Absit, ut Eliani Lovanienses nomine S. Eliae Patris eorum huic Didaco applaudant: resistant potius tanto falsario zelo suo Eliano & fervido, ut tam acerbum scriptorem comprimant, opprimant, & pessumdent. Ad hoc etiam omnes veritatis Studiosos adhortor, ut hunc tam oculatum (sed apud suos tantùm) & superciliosum Theologum aversentur ut mangonio Cranenbergico elusum. Desistat imposterum hic Didacus condemnatum hunc Cornelium à Cranenbergh extollere, atque amplecti. Valedicat condemnato suo confaederato. Abstineat pseudo Elias vero Eliae affingere hanc anagramaticam exhortationem. *De Oropega, age pro Deo, vel, Didacus de Oropega, dic age suda pro Deo.* Absit enim ut S. P. Elias hunc falsitatum protectorem ad Dei protectionem provocet, nisi cum noverit emendatum! absit ut vel salutatum velit, nisi meliorem & sibi, & aliis inspiret salutem. Execretur cum *R. P. Jacobus de la Fontaine* è Societate Jesu Lovanii haud ita pridem Professor, cum adoptans in suis Thesibus 1. Augusti Lovanii defensis, & per haec verba condemnatum socium amplectentis, *Jansenistarum fraudem nobis manifestè detexit Cornelius à Cranenbergh, cujus quinque prima capita, quatenus quinque Articulorum Jansenii propositionibus convenientiam demonstrat, hic haberi volumus pro insertis* hanc

ado-

 571

adoptionem inquam, revocet, *Jacobus de la Fontaine*, aliàs *Didacus de Oropega*, si Græcis lexicis credamus & Hispanis, hunc abominandum, & adoptione indignum filium rejiciat, ut ostendat se verum obedientiæ filium, & exactum Pontificiorum Decretorum observatorem, ne Jesuitico adversus alios zelo nuntium mittere cognoscatur: hoc si desperemus à *Jacobo de la Fontaine* exspectare, speramus tamen à Societate cum ad hoc cogendum, ut Societatem cognoscamus in filiis suis castigandis minimè segnem, sicut Carmelitas excalceatos in suis comprimendis videmus promptissimos; hæc dum præstolamur avidissimè aliis extravagantibus sociis invigilabimus, invigilabunt Romani, si adeò negligant Belgæ Dominicani, ne hic Didacus sub larvâ zeli sanæ fidei, præcipuam destruat Thomisticam doctrinam.

Commendatio doctrinæ de gratiâ, quam per totum terrarum Orbem regulariter profitentur Carmelitæ Discalceati.

VIdi, & avidâ, diligenti, ac reverenti diligentiâ evolvi præclara commentaria ad Angelicum Magistrum (1. 2. a questi 109. usque ad 114.) non solum sine maculâ, aut levi rugâ, Catholicæ doctrinæ, Sacris ecclesiæ præscriptionibus, & sanctorum patrum documentis minus consona: Verum fulgenti, & perpopilito stylo, discursibus solidis, firmis demonstrationibus, Sententiarum gravitate, amplissimæ eruditionis Sanctorum Patrum non vulgari, sed acri indagine, & deniquè eloquentiæ Magistralis floribus Universo operi respersis, referta, limata, enucleata; & (pro Coronide) Angelici Magistri doctrinæ rigidâ intelligentiâ supra stuporem conformia: auctore Religiosissimo, & Cordiali affectu mihi colendissimo Collegio Patrum Discalceatorum B. Mariæ de Monte Carmeli primitivæ observantiæ. Cujus doctissimi Patres & Magistri, Futrice Aurorâ Mariâ, *quoniam ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt, ut arbitror, tamquam stellæ in perpetuas æternitates.* Disseritur in hoc opere de gratiâ, justificatione, & Merito.

In lumine ergo cælestis gratiæ constituti prædicti Collegii Patres, & Magistri, illique amicabili fœdere uniti, tam strenuè certamen gerunt, ut pro gratiæ dignitate tuendâ vitam agant: In quo ipsius gratiæ jura custodiunt etenim si cunctis animantibus insitum est, ut in vitæ discrimine utantur omnibus modis, ac viribus, quibus eam tueri possunt: Quâ curâ, impetu, & Spiritus vigore satagendum est viro Chatholico, cum non illa vita impugnatur animalibus communis; sed superior, per quam ab hujus vitæ miseriis liberandus est, & æternitate victurus? Quibus autem mediis, & armis uti oporteat ad vitalis gratiæ tutamen, optimè noverunt hi Sapientissimi & Religiosissimi Magistri dum ad instar Moïsis vocant omnem vi-

rum

rum eruditum, cui dominus dedit ſapientiam, ad opus Sanctuarii; videlicet cum juvamina petunt à ſanctis eccleſiæ Doctoribus, quibus Dominus jam diu infuderat ſcientiam ſubtilem & irrefragabilem ad controverſias de gratiâ dirimendas. Inter quos palmam tuliſſe magnum Auguſtinum & Angelicum Thomam, docent Pontifices, & probat plauſus totius eccleſiæ. Thomas vero, quæ Auguſtinus de gratia fuſius docuerat ad eum ordinem in Summâ redegit, ut piè credatur Paulum gratiæ Doctorem ipſi revelaſſe, quidquid humanâ mente capi poteſt. Unde meritò graviſſima hæc Patrum Carmelitarum Congregatio Angelicum ſibi cum aliis, cum præcipuè in gratiæ controverſiis elegit Doctorem. Ardet enim Doctrinæ Thomiſticæ amore, & Thomæ Spiritum vehementi ſpiritu attrahit. Petivit Eliſeus, ut fieret in eo duplex Spiritus magni Eliæ, cui parens: Si videris, inquit, me, quando tollar à te, erit tibi quod petiſti. Quid meriti in viſione? Cur, ſi videat, duplicatum accipiet Spiritum? Quia Eliſeus vel juſſus à Magiſtro recedere non receſſit, ſed piè, Religiosè, & reverenter ejus præſentiam requiſivit: & aſcendentem Magiſtrum oculis ſaltem, & affectu proſecutus fuit diu, unde duplicem, hoc eſt maximum ipſius Spiritum meruit. Si ergo Eliſeo perſonalem Magiſtri præſentiam ambienti proviſum abundanter eſt de Spiritu Patris: quas utriuſque Filiis, & venerandi Collegii Magiſtris, tot laboribus, Angelici Doctoris honori, & mentis inveſtigationi incumbentibus, & tanti præceptoris Spiritum anhelô corde, & ore attrahere ſuſpirantibus, ejuſque diſciplinæ ardenti devotione conſecratis & inter Diſcipulos fideliſſimis; quas, inquam, pro tot obſequiis rependet gratias Angelicus ipſe Doctor? omitto fulgentes gloriæ coronas, quas placidus debitor impetrabit. Procul dubio jam conceſſit duplicatum ſpiritum pro his commentariis, quæ non ſatis admiramur, ad ſtrenuam gratiæ defenſionem, in illuſtratione intellectus, & purgatione affectus incluſum: quem duplicem ſpiritum magnum Eliam etiam tranſtuliſſe in Eliſeum interpretatur D. Bernardus. Aut aliter exponamus hunc duplicem ſpiritum à D. Thoma ſapientiſſimis Carmelitis Diſcalceatis conceſſum. Prior eſt fidelis, ſincera, & vera litteræ D. Thomæ interpretatio. Alter eſt cenſoria vis, & Aquilina acies ad diſcernendum inter veros, & fictos, falſos, ac larvatos D. Thomæ Diſcipulos. Petrus Apoſtolorum Princeps, quæ ſibi, & condiſcipulis occurrebant, tamquam alios docturus Magiſtro ſtatim proponebat. Semel requiſivit de præmio. Cui JESUS: Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes judicantes duodecim tribus Iſraël. Judiciariam poteſtatem in præmium Apoſtolis aſſignavit, ſupra univerſos Fideles (infidelis enim jam judicatus eſt) qui relictis omnibus & ſemetipſos abnegantes CHRISTO Præceptori adhæſerant. Cur igitur huic perilluſtri Congregationi cordialiter Angelico Doctori adhærenti, aliorum dictamina relinquenti, & intellectum in tanti Præceptoris obſequium captivanti (quod redolet ſupremum paupertatis Evangelicæ gradum) denegavimus diſcretoriam ſpirituum di

gnitatem